

~~##~~
20

AD
SOLEMNIA

GYMNASII
ELBINGENSIS
AESTIVA

D. VIII. SEPT. A. O. R. MDCCLVII

LOCO HORISQVE CONSUVETIS CELEBRANDA

ILLVSTREM

MAGNIFICOS GENEROSOS AMPLISSIMOSQVE

DN. DN.

BVRGGRABIVM REGIVM

PRAESIDEM

PRAECONS. CONSVLES

VRBIS PROCERES

NEC NON

EXCELLENTI PLVR. REVERENDA CLARISSIMA

PRAENOBILI NOBILI SPECTABILIQVE

DIGNITATE CONSPICVOS

MVSARVM FAVTORES

LONGE HONORATISSIMOS

SVBMISSE ET OFFICIOSE

INVITAT

IOANNES LANGIVS

ATH. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE STANNO NOHRMANNIANO.

bl. do 553

1870

GYMNASTII

FERRINGENSIS

ESTIVAE

D. 1870

LEVAZ' TRIM

MAGNIFICOS GINTONOS

IN DE

BURGERARUM REGIA

PRINCEPS

TRINOS CORPUS

TRINOS

TRINOS

TRINOS

TRINOS

2074.11.8.1870





Quamvis primorum legendi ac scribendi elementorum ea sit conditio, ut a signis & characteribus seculo nostro distingui soleant: antiquitus tamen notas idem saepe ac literas fuisse, ad unum fere norunt omnes. Sic enim non Suetonius modo, historiae priorum Imperatorum conditor, Julium Caesarem a) & Augustum b) per notas scripsisse enarrat, sed Plinius quoque noster, indicaturus, notare idem esse ac literas exarare, inter alia dicit: c) meditabar aliquid, enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen ceras referrem.

Inde ea apud Romanos invaluit consuetudo, ut omnes res, literis inscriptas aut stigmate quodam notatas vocarent literatas. Quem hinc fugit, silicem literatum nihil aliud significare, quam monumentum in sempiternam rei alicujus memoriam lapide exstructum, & inscriptione notisque ornatum? Imo quid apud Plautum d) ensiculus literatus, quidque urna illa, de qua apud eundem e) Sceparnio: haec, inquit, literata est; ab se cantat, cuja sit, significant, facilis est conjectura.

Maximus autem literarum & stigmatum in hominibus notandis fuit usus: quippe Romani & in toga & in saga illis partim ut infamiae ac opprobrii, partim ut existimationis, honoris & obsequii utebantur signis. Non dicam, homines sacrilegos & maleficos, judicis sententia ad ludum aut metalla damnatos, facinore in facie ac manibus ipsorum literis inusto, verberatos nudosque extra fines patriae pulsos fuisse. f) Nec in medium proferam, confessores fidei, haud secus ac si facinorosi & omni civium communione indigni essent, fronte figuris notata in exilium esse mis-

* 2

fos.

a) *Cap. LVI,*
*sc. IV. v. 1. 2.*b) *Cap. LXXXVIII,*c) *L. I. ep. VI.*d) *Rudente. Act. IV.*e) *Act. II. sc. V. v. 21.*f) *vid. Plato L. IX. de lege l. 923.*

fos. Siquidem & gentium ille Apostolus, stigmatum, in corpore suo perustorum, mentionem facit, g) quibus ille non quidem notatus, est tantae ob Salvatoris Evangelium infamiae, tantae contumeliae expositus fuisse legitur, ut Christianorum, characteribus in fronte signatorum, se similem esse judicaret. Verum illud modo indicare juvat, eos plerumque, qui ab officio cum militari tum civili erant, stigmatibus quibusdam, quae vel punctis, vel literis, vel aliis imaginibus constabant, fuisse notatos. Hinc illos, qui castra sequebantur Romanorum, ut iisdem relictis cognosci ubique & retrahi possent, ejusmodi saepius stigmata, in manibus praesertim inusta habuisse, legimus apud Lipsium. h). Quod porro ad operarios publicos, omnem in armis militaribus fabricandis exhaurientes laborem, quodque ad aquarum ducendarum custodes attinet, ex variis auctoribus nos docet Cel. Deylingius, i) & eosdem vel in brachiis, vel furis, vel aliis corporis partibus quibusdam signatos fuisse notis.

Interim praecipua stigmatum in servis notandis adhibebatur cura. Quo enim variorum inter Dominorum famulos discrimen aliquod constaret, servorum corporibus vel literam, k) vel characterem, vel nomen etiam heri sui inustum fuisse scimus. Cujus rei testem, omni exceptione majorem, non Ciceronem modo habemus, qui barbarum nominat stigmatiam & notis compunctum Threiciis, l) sed Plautus etiam servos, characteribus ejusmodi ab aliis distinctos, quos Plinius inscriptos dixit, m) vocavit literatos. n)

Quo

g) Gal. VI, 17. h) L. I. de militia Romana dial. IX. p. 45.

i) *Observ. sacr.* P. III. p. m. 335. 336.

k) c. g. in servorum ex fuga retractorum fronte inscribatur litera F teste *Walchio in not. ad Cellarii antiqu. Rom. L. VI. fest. II. §. 6. p. 443.* Sicuti in Anglia regnante Eduardo VIII facies illorum, qui otio & nihil agendo triduum saltem consumserunt, ope ferri candentis litera V notabatur. vid. *P. v. Rapin allgem. Gesch. von England. T. IV. L. XVI, p. 538.*

l) in *Offic.* L. II. c. VII. m) vid. *Gesneri chrestomatia Pliniana LXXVII. 36.*

n) *Casina. Act.* II. sc. VI. v. 49.

Quo in genere infimul ponendam esse judicamus illam Ifacidarum consuetudinem, qua servos non temporarios, sed perpetuo servitio mancipatos, nec literis, quin aurium potius perforatione notare soliti erant. Ea enim in legibus Mosaicis DEI fuit voluntas, o) ut, si servus Hebraeus, Israeliticae gentis pretio comparatus, exacto sexennio, heri & uxoris & filiorum amore ductus, manumitti nolle, Dominus eum אֱלֹהֵי הָאֲדָמָה ad Deos i. e. iudices, vice divina judicia exercentes, vel si mavis, ad DEVM ipsum, i. e. ad locum, ubi DEO praesente judicia ejus instituebantur, adduceret. Quo facto servi istius, ad valvam aut postem applicati, auris subula perforabatur, ut in perpetuitatem, i. e. ad annum usque, vel proximum jubilaum vel mortem heri respicientem, ei, Domino scilicet, non filio, non filiae inserviret. p) Quam durissimam perforationis aurium conditionem ancillae subire non cogebantur, quibus satis erat, hero in servitute perpetuam verbis se addixisse; sed servis tantum haec lex scripta erat. Interim nescio, utrum illis pollicem premam, qui arbitrantur, servum Hebraeum in ignominiae signum hoc perforationis stigmate ab hero sibi electo notatum & poena quasi justissima esse affectum: quia repudiata libertate, qua res inter humanas mortalibus nihil a DEO charius, acceptius nihil datum est, alium praeter aeternum illum sibi quaesivisse videtur Dominum. q) Quin potius obsequii & servitutis continuationem aure perforata indicari credimus, qua tanquam praesente monitore, ac si portae esset affixus, strenue docetur, domum heri sui perpetuo sibi esse custodiendam. Quanquam hinc ad idem obsequium, idemque munus a primis statim servitii annis adstrictus fuit servus: illud tamen finito sexennio finiebatur infimul. Servis autem fidelibus & in ista conditione ad finem usque vel seculi, vel etiam vitae duraturis nullam obsequii veniam, cessationem ab opere nullam aurium promittebat perforatio. Et

o) Exod. XXI, 5. 6. Deut. XV, 17. p) conf. *Lundii jüdische Heiligtümer*, c. XXX. p. 1078. 1079. q) vid. *Sim. de Mnis varia sacra in Pentateuchum* ad Ex. XXI, 5. 6.

Et ad hunc morem, servum ex mandato divino stigmate notandi, Salvator fidelis ille justusque Patris minister respicit, dum apud Davidem inter alia: aures, inquit, perfodisti mihi. r) Ea enim Clarii, Grotii, Amamae, s) aliorumque sacrarum literarum explicatorum loci hujus est interpretatio. t) Nec immerito. Cum enim generis humani Redemptor secum reputaret, quid DEO pro liberatione mortalium redderet, & inveniret, Patrem coelestem sacrificia animalium, ratione carentium, absque fide non desiderare, sed velle, ut Goel promissus consilio DEI acquiescens, praeceptis Ipsius faceret satis, dicit, aures sibi ad legem audiendam apertas concavasque, & ut ministerium subiret perpetuum, quasi perfodissas a Numine Altissimo esse datas. Hinc & apud Evangelistam fatetur, in promovenda hominum salute obedientia nihil sibi utilius, gratius fuisse nihil: quippe partum vocat suum, voluntatem DEI exsequi, u) indicaturus, ad animae vitam obsequio non minus, quam ad corporis conservationem cibo opus esse naturali.

Non quidem sum nescius, LXX, quos & Paulus sequutus est, w) fonte neglecto verba Messiae sic transfulisse: corpus aptasti mihi. Interim non est, cur de hac verborum varietate anxii, illam sub examen vocemus: quippe idem sensus, idem argumentum in utraque loquendi latet formula. Cui enim auris ex mandato divino perfodienda erat, ei etiam corpus aptetur ad servitium necesse est: & cui corpus ad ministerium obeundum redditum est idoneum, ei auris in servitutis notam omnino perfodi potest. Hinc LXX & cum illis Paulus, sensum magis quam verba Messiae respicientes, ut in scholis loquimur, vel totum pro parte, vel antecedens pro consequente ponunt. Nunquam enim Christo Salvatore Pater coelestis aurem perforasset, servumque eum accepisset fidelem, nisi & illi in unitate personae carnem aptasset, secundum quam Messias, legi subiectus, ad obsequium & servitutem sempiternam redderetur aptus. x)

Ma-

r) XL. Pf. 7.

s) in *comm. ad h. l. coll. in Critic. sacr. T. III. p. 221-225.*

t) *conf. Pseffri dubia vexata ad XL. Pf. 7. 8. p. 683.*

u) Io. IV. 34.

w) Ebr. X. 5.

x) *conf. Glassii philol. sacr. p. m. 1539, 2067.*

Maximum ergo omnium servum literatum fuisse Jesum Nazarenum, aequum est ut statuamus. Nam servus fuit, dum Patris sui desiderio facturus satis, redimendi generis humani officium ab omni aeternitate suscepit: servus, dum natura nostra assumpta statum ac conditionem humilem abjectamque, per quam infimae fortis hominibus adnumerabatur, sibi elegit: servus, dum legi subjectus, mortem crucis ignominiosissimam ex pacto, cum Patre inito, lubens subire voluit: Servus, qui tot cicatricibus, tot perforationibus, tot vulneribus quasi notis ac literis, in capite, manibus, pedibus, totoque corpore impressis notandus ac distinguendus fuit. Hinc Messiam, servum servorum maximum, in S. S. saepius laudatum, venerari, salutare & adorare religio suadet, pietas injungit.

Hunc utinam omnes Christi affectae ut in reliquis virtutibus, ita & in obsequio, humilitate & abnegatione sui imitarentur! Dum enim illi, servitio Salvatoris mancipati, juramento aeterni obsequii in Baptismatis lavacro se obstrinxerunt, servorum literatorum naturam induerunt, ad jussa & praecepta divina eo promtiori implenda animo, quo firmiori vinculo majorique ad ea observanda notati sunt stigmate. Hanc vero literam, hoc stigma suggeri nobis a lege humana aequae ac divinae, quis est qui neget? Ea enim quasi clave ad fores aedium coelestium i. e. ecclesiae christianae adfixi, vitam ad cineres usque bene beateque instituere, tenemur omnes. Quot hinc Christi nomine insignitos videmus, tot quasi servos Salvatoris literatos & ad obsequium sempiternum ei praestandum deprehendimus adscriptos.

Quibus praesertim cives scholae christianae annumerandos esse censemus. Illis enim non leges saltem, quae omnes omnino obligant homines, sed scholasticae insuper datae ac praescriptae sunt, quibus quasi subula auris eorum, ad valvas scholae perforata, officii sui redditur memor. Siquidem jam Graeciae inter sapientes Plato ille monuit, adolescentum animos quam primum assuefaciendos

ciendos esse, ut honorifice de legibus sentiant: quippe non vincula solum communis societatis sunt, sed pulcherrime etiam christianam, civilem ac scholasticam temperant communionem, & omnium officiorum, religionum, magistratuum, educationis ac disciplinae efficiunt gradus.

Hoc quam utile, quamque necessarium sit, vidit Majorum pie memorie nec non AMPLISSIMI ad gubernacula Civitatis patrie sedentis MAGISTRATVS & providentia & aequitatis simplicitas. Siquidem leges scholasticas, anno praeterito in novam formam redactas renovatasque, in aroaterio maximo quotannis publice repetendas esse judicarunt, quo cives Lycei nostri easdem non auribus tantum, vel inania saltem illarum verba haurirent, sed animis etiam penitus impressas ut pupillam oculi asservarent. Cui solemnitati anniversariae auctoritate publica dicatus est crastinus dies: dies, in quo *legibus* more consueto *praelectis*, *teneram aetatem in classes superiores evectam*, actu oratorio in arenam conspectumque producet VIR PRAECLARISSIMVS DOCTISSIMVSQUE DN. IO. DAN. HOFFMANN, CONR. & P. P. ut & COLLEGA noster multis nominibus HONORATISSIMVS.

Quibus sacris literariis ut ILLUSTRIS, MAGNIFICI, GENEROSI ET AMPLISSIMI VRBIS PROCERES, DN. DN. BVRGGRABIVS REGIVS, PRAESES, PRAECONSVLES, CONSVLES, PATRONI atque EVERGETAE, omni qua par est observantia COLENDISSIMI: Viri item vel salutaris artis experientia, vel divini verbi eloquio, vel doctrinae ac scientiarum fama & amore clarissimi, cujus demum cunque Ordinis, loci aut conditionis Civitatis nostrae sive Hospites sive Cives longe aestimatissimi praesentia sua exoptatissima interesse & benignas praebere dignentur aures, summa qua decet reverentia & officiositate rogamus, invitamus, obtestamur. P. P. Elbingae, d. VII. Sept. MDCCLVII.